


05

A

341





I. N. 7.
DISPUTATIO THEOLOGICA,
De
EXISTENTIA DEI

ABSOLUTA,
Ex Cap. III. Exodi vers. 14.

Quam

PRÆSIDE

*VIRO Summè Reverendo, Magnifico, Am-
plissimo, atque Excellentissimo*

DN. JOH. DEUTSCHMANNO,
SS. Theol. Doct. ejusdemque Prof. Publ. lon-
gè Celeberrimo, ut & Alumnorum Electoralium EPHORO gra-
visimo, benignissimoque,

*Dn. Patrono, Præceptore, atque studiorum
suorum | P R O M O T O R E, summo honoris cultu plurimum
observando,*

Ex Cathedra Lutheri
defendet

M. JOH. GODOFREDUS MIRUS,
Adorfiâ Variscus, Ecclesiæ Patriæ designatus
Diaconus.

*In Auditorio Majori,
Horis consuetis die 18. Jan.
An. clc lbc LXXXVII.*

WITTEBERGÆ, Literis SCHULTZIANIS.

Inclutæ ac Florentissimæ

Reipublicæ

ADORFIENSIUM,

Proceribus & Patribus

D N N.

CONSULIBUS,

PRÆTORIBUS,

Cæterisque

SENATORIBUS,

Viris Amplissimis, Consultissimis, Prudentissimis nec non Doctissimis,

Dominis Evergetis, & Patronis suis ætatem suspiciendis atque devote colendis,

Hanc Disputationem Theologicam,

In humillima gratitudinis signum, & æterna Venerationis Symbolum, atque futura promotionis motivum

D. D. D.

M. GODOFREDUS MIRUS,
Eccles. Patr. designatus Diaconus.



05 A 341

AD PEREXIMIUM ET CLARISSIMUM
Dn. M. JOH. GODOFREDUM MIRUM,
EX THEOLOGICIS DE EXISTENTIA DEI
DISPUTANTEM.

Optima cura, CLARISSIME DN. MAGISTER, DEI Cura. Nihil enim majus, nihil melius, DEO nostro dicitur. Cernimus in Eo Summum, Maximum & Optimum Bonum: Summo non datur superius; Maximo non datur Majus: Optimo non datur melius. Habet omnia qui Deum habet. Prægnantissima possessio, DEI possessio. Possideamus DEum mente, ut nihil, nisi DEum, sciamus; voluntate, ut nihil, præter DEum, cupiamus; ore, ut indefinenter de DEO, rebusque divinis, verba faciamus, & ipso tandem opere, ut opera nostra cuncta tantum ad DEI gloriam dirigamus. Inter omnia, quæ DEI sunt, primum dicitur Ipsa DEI Existentia. Hac negatâ, reliqua cuncta corruunt: Hac salva, reliqua cuncta locum facile inveniunt. Prima proinde cura circa Θεογνωσίαν sit Existentiæ divinæ Notitia. Tu, CLARISSIME DN. MAGISTER, bene tuis studiis Theologicis consulis, dum Scholam divinæ Cognitionis tuam facis, & primam de Existentia DEI curam suscipis. Facilius sic reliqua mysteria huic conjungere, & felicius ad scopum tendere poteris. Sit DEus Tecum, sit Ipse cum studiis tuis, sit cum laboribus tuis facris. Excitet PATRONOS, qui studiis tuis prospiciant, & ad scopum exoptatum illa dirigent! Summus sit, maneatque Tibi PATRONUS IPSE DEUS! Hic repleat Te Spiritus Sancti Donis, ut multum in Ecclesia fructum prope diem facere queas. Hoc votis, hoc precibus suis urget.

T. PEREXIMIÆ CLARITATIS

Witeb. D. 16. Januar.

Anno 1687.

Studiofissimus

Johannes Deutschmann / D.

CLARISSIME VIR,
Fautor honorande,

EXimii est operis in publicam descendere arenam, & heroica
virtus, ferro & armis se tueri. Nam

*Convenere olim, sua uti sibi facta probarent,
Arcum quis posset flectere dexterius.*

Manet ea cum primis laus Romanos, in Palæstris juvenes ita exer-
centes, ut nullis dicendi essent secundi, omnibus præferendi.
Non minor est virtus Tua, *insignis Amice*, qui audes esse in publi-
co, & tanquam armis undiq; cinctus & benè munitus cum hoste
(opponente) configendum Tibi sumpsisti, & major certè, siqui-
dem πάντων χαλεπώτερόν ἐστι ἀρχεῖν ψυχῶν eo autem præstantius est,
quo quid laboriosius. Inter eos *Te, Amice honorande*, refero, qui
egregiè navarunt operam, quibus corona debetur & palma: quos
nec Astræa suo dedignatur honore. Te non Atellanæ comœdiæ,
sed eruditorum lectiones; Te non Cretensium festa, sed veritatis
studiâ; Te non Adonidis horti, quin sacrum Dei Verbum maximè
delectarunt; Neq; maximum hunc sacri codicis campum levis-
simo saltu transvolasti, sed pie eruditeq; , quoad mortalibus con-
cessum, in succum, quod dicitur, & sanguinem convertisti, ut τὸ
λευκὸν ἢ μέλαν εἶδέναι Te probares. Disputas non leviter instructus,
Deum enim, seu Dei existentiam docens, divina polleat scientia
necesse est, cum Deum, teste Barlæo Orat. de Præs. Christi p. m.
206. sine DEO nemo dicere possit, Probas *Te doctum, &*

*Nobilitas animi, & morum tua Gratia pollens,
En! benè vult nostris se dare servitiis.*

Agedum, *dulcis Amice*, descendas in arenam, magno aggrediaris
animo disceptationem, victor abibis; & mirabuntur *Te*, qui au-
scultando Tibi demonstrarint amicitiam; mirabuntur *Te*, quot-
quot legerint arduum hoc opus, mirabuntur, & præmia Patroni
largientur,

Die 16. Januarii,

Fautori suo honoratissimo
scr.

M. GODOFR. Renzelmann.

hoc *amicabilis affectus*, illud *DEum novit*, istud *ad DEum ducit*, hoc *cum DEO nos unit*: illud *DEum contemplatur*, istud *DEum aucupatur*, hoc *DEO copulatur*; illud *DEum meditatur*, istud *ad DEum peregrinatur*, hoc *DEum amplexatur*.

2. Notavimus *præced. Disput. quod Finis Theologiæ Materialis*, sit ipse *DEus, Formalis DEI fruitio*. Circa *Deum ipsum notanda Doctrina de Existentiâ*, quod sit, & *Doctrina de Essentiâ*, *Quid sit. Existentiâ* consideratur vel *absolutè*, ratione *sui*, quod *in se sit DEus*, vel *relate*, ratione *nostri*, quod *DEus nobis existat*, & à nobis *verè cognoscatur*, vel *comparatè*, ratione *Christianæ Fidei*, quod hæc *doctrina sit nobis verus Articulus Fidei*: de *priori præsentis Disputatione potissimum agemus*.

3. *Quod sit DEus*, illud confirmatur *generaliter* (1) *Ex libro scripturæ*, quia quot sunt *scripturæ libri*, quot *librorum capita*, quod *capitum versiculi*, quod *versiculorum voces*, quot *vocum syllabæ*, vel *literæ*, tot sunt *Existentiæ divinæ documenta*: quia si *Deus non existeret*, nec unquam in *scripturis existere* talia potuissent: in primis *Existentiâ divinam confirmant* (a) *Illustrissima DEI Nomina*. (b) *Ponderosissima DEI Oracula*. (c) *Eminentissima Dei attributa*. (d) *Copiosissima DEI opera*, vel *beneficia*. (2) *Ex libro Naturæ*, quia *cuncta, quæ nos sumus*, quæ *nos habemus*, & *possidemus*, *cuncta, quæ possumus*, & *valemus*, *cuncta, quæ facimus*, vel *opere complemus*, illa *divinæ pariter Existentiæ sunt argumenta*: cum primis etiam *principia nobiscum nata*, vel *cuncta Theologiæ naturalis insitæ capita* *divinam Existentiâ infallibiliter comprobant*. (3) *Ex libro Creaturæ*, quia *cunctæ creaturæ sua Existentiâ testantur de Creatoris Existentiâ*; certè nisi *Creator existeret*, nec *Creatura suam Existentiâ haberet*, juxta *Vulgatum: Autoremq; suum quodlibet Esse docet*: vel, *Factoremq; suum quælibet herba refert*.

4. Nos *Existentiâ absolutam DEI* jam ex *Oraculo quodam Biblico* vel *indagare*, vel *explicare*, vel *confirmare* debemus, quod in *præsentis præstabimus ex Exod. III. 14*. Hic enim *ipsum DEum hujus Dogmatis Autorem*, *hujus Doctrinæ Datorem*,
&

& Doctorem offendimus, vel ipsam Sapientiam DEI, S. S. Trinitatis Oratorem, Patri λόγον, & nostrū Manuductorem deprehendimus, qui doctrinam de Existentia Dei luculenter satis ex arcanis DEI thesauris profert.

5. Juxta laudatum igitur Oraculum notabimus (1) Doctrinæ de Existentia DEI Causam Efficientem, ex verbis, Dixit Dominus ad Mosen. (2) Causam Materialem, Ego sum, qui sum, Ehjeh ascher Ehjeh, ait; sic dices Filius Israel. Causam Formalem, Ehjeh, Qui est. (4) Causam Finale, misit me ad Vos.

6. Quod igitur attinet Causam Efficientem, eam non tam ratione Existentiæ Dei, quam ratione Doctrinæ de Existentiæ Dei considerare debemus: prius, tum quia Existentiæ Dei dicitur omnium prima: primo non datur prius; & sic quia nulla datur Efficiens causa, vel etiam dari potest, quæ divinam Existentiæ, tanquam causam, respicere queat, adeoque verum non Ens est: non Entis autem nulla datur consideratio: posterius, tum quia verisimur hic in Theologia, quæ dicitur doctrina, vel tractatio de Deo; tum quia tota scriptura doctrina est Dei, partim à priori, quia DEUS per scripturam fit Doctor; partim à formali, quia DEUS per eam est Doctor, hinc etiam Verbum DEI passim διδασκαλία nuncupatur; partim à posteriori, quia DEUS effective nos per scripturam docet, & fideles dicuntur à Deo docti.

7. Juxta verba Textus initialia, Dixit Dominus ad Mosen, verè dicimus, quod Doctrinæ de Existentiæ Dei notetur (1) Causa Principalis, Dominus, in Hebr. legitur יהוה, quod est augustum DEI Nomen, & hic, juxta præsentem Mosis instructionem, vel legationem, vel etiam juxta præsens caput, diversimodè considerari potest. Nos breviter nonnulla producemus (1) Quod hic Elohim non inconvenienter supponatur Essentialiter, pro ipso Deo, essentialiter considerato, adeoque sic DEUS quoad Essentiam unus dicatur hujus Doctrinæ Principalis Autor, quod confirmatur (1) quia huic Elohim τὸ dicere tribuitur ad Mosen, adeoque sic op9 ad extra quoddam eidem adscribitur; tum quia loquitur ad extra; tum quia verba notanter externa profert, quæ nim. in hoc

versiculo leguntur; tum quia disertis verbis legitur, quod ad Mosē sit locutus: jam autem opera ad extra sunt essentialia, vel essentialia communiter appropriantur. (2) quia huic Elohim in eodem v. 14. immediate tribuitur Nomen proprium Essentiale, Ehjeh ascher Ehjeh: cum enim Mosēs Domino vocanti, vel Mittenti Legatum hunc suum, regessisset: Si Filii Israel mihi dicent: Quod nomen Ejus (nim. Te Mittentis) quid dicam ad eos? Statim respondet Dominus: Ehjeh, ascher Ehjeh: quod autem hoc nomen Ehjeh sit essentialia, vel ex eo patet, quod descendit à rad. היה , quæ significat Esse. (3) quia hoc eodem versiculo Mosēs missio huic Elohim appropriatur, jam v. missio quoque dicitur opus ad extra. (4) quia vox Elohim cum Magno, vereque Essentiale Nomine Jehova permutatur v. 4. Et vidit Jehova, quod pergeret (Mosēs) ad videndum, vocavit eum Elohim de medio rubi, & ait, Mosē, Mose: jam citra dubium Jehovæ nomen est essentialia: Synonymum igitur ejus in immediata permutatione non inconvenienter Essentiale dicitur.

8. (2) Quod hic Elohim conjunctim de tribus personis Deitatis supponatur, quia notanter in seqq. per Augustinū, & quidē conjunctum, & quasi compositū nomen declaratur, dum Jehova Elohim nuncupatur v. 15. 16. 18. c. IV. 4. Huc facit etiam illud, quando vox Elohim, vel ter, vel quater, uno versiculo repetitur, & sic mysterium Trinitatis in unitate proponitur e. g. c. III. 6. Ego sum Elohim Patris tui, (quod nomen communem sortitur statum, cum & Abraham, & Isaac, & Jacob esset Pater, & mox v. 15. per pluralem numerum quoad sensum declaratur, & insuper distincte sequitur) Elohim Abraham, Elohim Isaac, Elohim Jacob. Item v. 15. Et dixit iterum Elohim ad Mosē: Hec dices Filiis Israel: Jehova Elohim Patrum vestrorum, Elohim Abraham, Elohim Isaac, & Elohim Jacob, misit me ad vos. D. niqve nec illud absqve nota dimittendum, quod tertia vice tantum hæc trina repetitio v. 16. reiteretur, & nec sepius, nec rarius allegetur, quando v. 16. Mosi præcipitur: Vade, & congrega Seniores Israel, & dices ad eos: Jehova Elohim Patrum vestrorum apparuit mihi, Elohim Abraham, Elohim

him Isaac, Elobim Jacob dicens: *Visitans visitavi vos, & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægyptiis.* Ex quorum locorum collatione satis elucescit, quod in his ad *Trinitatis* Mysterium respectus habeatur, cum primis & illa tum *illustratio*, tum *declaratio*, non negligenda videtur, quod *primum* Elobim in *quadruplici* repetitione, dū hoc *Trinitatem* dubiam apud Hæreticos, & Empæctas reddere posset, in utroq; loco succedente, v. 15. & 16. per *Jehovab* Elobim explicetur, atque sic ejus sensus ad oculum demonstratur.

9. (3) Quod vox *Elobim* h. l. quoque sigillatim ad *singulas* Deitatis personas referatur, & sic unaquælibet persona Doctoris instar in *doctrina* de *Existencia* consideretur, & quidem (α) ad *Elobim Patrem* refertur hic *Doctrina* de *Existencia DEI*, tum quia *DEO Patri* passim in scriptura tribuitur *miseriordia*, secundum quam videt *afflictiones* hominum *miserorum* c. III. 7. tum quia *Patris* est, *afflictorum liberorum exaudire preces*, ibid. Conf. v. 9. tum quia *Pater*, ceu *Dominus*, sibi *populum Israel* appropriat, eumque *suum populum* nominat, ibid. tum quia *Patris* est, *liberis afflictis succurrere*, & ab *oppressorū tyrannide redimere* v. 8. tum quia *Patris* est, *hæreditatem liberis distribuere*, in *possessionem* ejus ipsos immittere, & de *habitatione commoda, sufficienti, & abundanti* prospicere, sicut *DEus Pater* h. l. promittit *Israelitis terram bonā, & spaciosam, lacte & melle fluentem* v. 8. tum quia *Patris* est, *Servos ad liberationem liberorum ablegare*, illosq; *autoritate, potestate, & instructione plena convenienter exornare* v. 10. seqq. tum quia *Pater* est *verus E Jeh*, qui non *Ipse tantum est*, sed etiam *est in Filio* per *æternam generationem*, & *est in Spiritu Sancto* per *æternam spirationem* v. 14. tum quia *solennem hunc titulum*, *Ego sum DEus Abraham, DEus Isaac, & DEus Jacob* v. 6. & 15. 16. etiam *ipse Christus ad Patrem* suo modo quodam accommodat *Matt. XXII. 32. Marc XII. 26 Luc. XX. 37.* tum quia *Patri* peculiariter, tanquam *irato propter peccata*, tanquam *reconciliando*, tanquam *gratiæ paternæ Destinatore proprio*, communiter in *sacris oblatio sacrificiorum* appropriatur v. 18. tum quia *prudencia paterna*, vel *prævisio futurorum*, & *solicita futu-*

rorum eventuum ponderatio Patri competit v. 19. tum quia Patri peculiariter *justitia*, seu *vindicatio* variarum *injuriarum*, ab hostibus *liberis* illatarum, convenit v. 20. tum quia Patri *liberorum* post afflictiones *consolatio*, *recreatio*, *benefactio* &c. maxime propria videtur v. 21. 22. Hæc & alia, juxta *Cap. III.* nobis *Patrem Doctorem* ostendunt, ad c. IV. progredi nolumus, in quo, sicut & in *sequentibus*, non desunt evidentissima *DEi Patris* indicia.

10. (3) Ad *Elohim Filium*, cui maxime per *ὀνομασίαν*, *Filio* propriam, ea, quæ leguntur in *C. III.* peculiariter appropriantur, quod probatur [1] *ex appellatione*, quia vocatur *Angelus Jehovæ*, seu *Jehova*, cum sit *Magnus DEi Patris* ad *Homines Legatus*, in quo cunctæ *legationes* aliæ suum fundamentum obtinent: Et hæc *appellatio* sic propria *Filio* dicitur, ut nec *Patri*, nec *Spiritui Sancto* tribuatur. [2] *ex ipsa Visione*, quia *visibilis* hic describitur *apparitio*, quæ communiter erat certum *incarnationis præludium*: nam qui *visibilem adventum* olim celebraturus erat, is etiam in hisce *præambulis* se manifestare voluit: jam *Verbum caro factum est*, i. e. *Filius*, & *habitavit in nobis*, & *VIDIMUS gloriam ejus*, *gloriam quasi unigeniti à Patre* *Joh. I. 14.* *Conf. I. Joh. I. 1.* & passim alibi. [3] *Ex visionis conditione*, quia *Moses* vidit *rubum ardentem*, sed absque *conflagratione*, vel *combustione* v. 1. *miraculo summo*, vel *stupendo*, quia de causa dicit ipse *Moses* v. 3. *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, miraculum vere stupendum, quare non comburatur rubus?* Hic certe *rubus*, juxta *Patrum*, aliorumque *Doctorum interpretationem*, revera dicitur *typus Incarnari Verbi*, quia fuit *ignis in rubo*, *DEus in homine*, neque tamen *rubus combustus*, vel *humana natura consumpta* fuit: *DEus* igitur in *igne* comparuit, sed in *rubo* *natura humana* præfigurata fuit, erat *ignis rubus*, & *rubus ignis*, sicut *DEus Homo*, & *Homo DEus*, hoc est, *Christus* est *θεὸς ἐν ἄνθρωπῳ*, & *verus Immanuel*. (4) *Ex Angeli denominatione*, quia hic *Angelus Jehova* dicitur, *Elohim*, *Jehova Elohim*, *Adonai* &c. qualis non est *Angelus creatus*, sed *increatus*, nim. *æternus DEi Filius*. (5) *Ex terræ sanctificatione*, quæ competit ipsi tanquam *Sancto Sanctorum* *Dan. IX. 24.* Sicut alias
terram

terram suis sanctis apparitionibus sanctificare solitus est *Jos. V. 12. 14. 15.* qui sua de caelis peregrinatione, sua incarnatione, humanae naturae peccatricis adsumptione, sua sancta conversatione, sanctissima sua praedicatione, passione, morte, sepultura, resurrectione &c. terram, h. e. terrestres homines in universum sanctificare voluit. (6) Ex Patriarcharum appropriatione, quia Filius tum active, tum passive (ut ita loquamur) Patriarcharum DEUS est *v. 6. 15. 16.* dum active Patriarchas, & posteros ipsorum in populum suum elegit, (fuit nim. Israeliticus populus peculiari ratione Messiae populus) & passivè quoque Semen Patriarcharum factus est, quia semen Abrahæ *Gen. XII. 2. XIII. 18. XXII. 18. Isaaci, c. XXVI. 3. Jacobi, XXII. 14.* nuncupatur. Sanctum enim ex Maria natum vere Filius DEI vocatur *Luc. I. 35.* & Christus, qui est ex Patribus, est DEUS benedictus in secula *Rom. IX. 5.* (7) Ex Israelitici populi educatione, nim. ex Ægypto, deductione, videlicet per desertum, & introductione scilicet in terram Canaan, quæ singula beneficia Messiae sunt Angeli Ductoris &c. Nam hic Angelus, qui Mosi nunc in rubo per visionem apparuit, ille quoque beneficiorum omnium autor, & executor fuit. (8) Ex Mosi Legatione: nam Moses est Legatus Minister, Principalis autem ejus est Angelus Goel, qui liberavit Jacobum, & omnes ejus posteros ex omni malo *Gen. XLIX. 16.* est verus Legatorum omnium Principalis, qui non est alius, quam Rex Israel, Rex Ecclesiae, nim. Christus Salvator, qui Rex Regum & Dominus Dominantium *Apoc. XVII. 14. & XIX. 16.* (9) Ex hujus Principalis Legati appellatione, quia vocatur Ehjeh, ascher Ehjeh, qui non est alius, quam $\omega\upsilon\upsilon, \omega\eta, \eta\upsilon\omega$ $\epsilon\rho\chi\acute{o}\mu\epsilon\nu\omicron\varsigma$ *Apoc. I. 8.* [10] Ex totius Historiae, vel etiam aliarum apparitionum collatione, quia tales apparitiones, & omnia, quaecumque hic circa praesentem historiam occurrunt, verè Messiae sunt propria, nec opus hic est pleniore deductione.

II. (γ) Ad Elobim Spiritum Sanctum, qui pariter hic excludi neque debet, neque potest, cum in his omnibus supremus sit Inspector, Director, & Executor [1] quia Pater & Filius per Spiritum Sanctum loquuntur: nam ut homo Verbum sine Spiritu nunquam eloquitur, ita Pater & Filius sine Spiritu S, nullum

ver-

verbum $\pi\epsilon\sigma\phi\omicron\epsilon\mu\acute{o}\nu$ edunt. [2] quia Spiritus Sanctus omnium Pro-
 phetarum Praeses est, qualis hic Moses constituebatur. [3] quia
 DEUS Spiritum suum hic Mosi communicavit ad Populum Israe-
 liticum educendum, deducendum, regendum &c. sicut Deus Num.
 XI. 17. de hoc Spiritu Mosi dicitur abstulisse, & septuaginta Senio-
 ribus de Eodem tradidisse, ut sustentarent onus populi cum Mose.
 [4] quia Spiritus Sanctus miraculorum dicitur Auctor Matt. XII.
 28. Luc. XI. 20. jam verò hic in visione maximum fait miraculum,
 quia rubus arsit, neque tamen exarsit v. 2. Conf. v. 12. c. IV. 2. 6. 9.
 &c. ubi plura miracula Mosi per Spiritum Dei conferuntur. [5] quia
 Moses loqui debuit, tanquam propheta Magnus Deut. XLIX. 18.
 tum ad Pharaonem c. III. 10. tum ad Seniores Israel v. 16. tum ad po-
 pulum Israel c. IV. 31. jam autem Sancti DEI homines locuti sunt
 non ex humana voluntate, sed à Spiritu Sancto ducti II. Pet. I. 21. [6]
 quia Spiritus Sanctus etiam est Elohim Abraham, Isaac, & Jacob,
 Gen. XLIX. 15. Talis autem dicitur hic Elohim v. 6. 15. 16. qui hic v. 14.
 nostrum Oraculum ad ipsum Mosen protulit.

12. (II) A causa Principali digredimur ad Causam Instrumenta-
 lem, quæ est ipsum DEI verbum $\pi\epsilon\sigma\phi\omicron\mu\acute{o}\nu$, quod hic sapius
 DEUS, tanquam principalis, adhibuit v. 4. 5. 6. 7. & seqq. & qui-
 dem partim ut mentis suæ speculum, in quo Moses ipsam DEI
 mentem intueri posset; partim ut voluntatis suæ placitum, quia
 decreta suæ voluntatis de populi liberatione per hoc verbum Mosi
 patefecit; partim ut vocationis Mosaicæ medium, vel instrumen-
 tum, quia literæ vocationis ad hoc, vel illud officium Verbis expli-
 cari consueverunt; partim ut instructionis testimonium, quia sicut
 Legatis à suis Principalibus certæ literæ Credentiales, quas vocant,
 cum Instructione Legationis & Expeditionis accurata, traduntur, ita
 tales Moses videtur desiderare v. 13. c. IV. 1. & DEUS per Verbum
 suum in his omnibus Mosen, ceu Legatum, munire, modisq; plu-
 ribus aliis, imprimis variis miraculis, ejus vocationem & Legatio-
 nem fulcire voluit. Inter alia pariter hoc verbum Existentiæ Dei,
 vel indicium, vel principium, vel cognitionis ejus medium esse debuit,
 sicut ex v. 14. patet, & hoc peculiariter hic attendere debemus.

13. De-

13. Deniq; subieitur inter *Causas Efficientes Ministerialis*, quia E-
 lohim dixit ad Mosen: Probatum (1) quia DEus nolebat immediatè vel
 cum Pharaone, vel cum Senioribus Israel, vel cum ipso populo verba
 commutare, sed potius mediante certo ministro, Mose nim. suam his
 voluntatè manifestare, quia prævidebat hunc in omni domo sua fide-
 lissimum futurum servum Num. XII. 7. (2) quia sicut alias Prophetas va-
 rios, tanqvã voluntatis suæ nuncios, l. internuncios passim inter Israe-
 litas excitavit, sic etiam Mosen, tanqvam prophetam Magnum, Mes-
 siae, Prophetæ principalis, typum, atqve præcursores, eligebat Deut.
 XIII. 18. eiqve vicarias partes committebat. (3) quia Mosen DEus
 constituit Legatum v. 10. (4) quia principalem ipsum hujus expe-
 ditionis Commissarium constituebat, eiqve fratrem Aaronem, tan-
 qvam Oratorem Eloquentem, submittebat c. IV. 14. 15. 16. (4) quia
 Moses debuit esse populo Israelitico divinæ voluntatis interpres, ex-
 ternus expeditionum ad Pharaonem, Seniores, & Populum, Antistes, re-
 rum futurarum Vates, veræ religionis Exegetes, & cognitionis my-
 steriorum divinorum catechetes. Et sic etiam ipsi *Doctrina de Ex-*
istentia DEI per hoc Oraculum est commendata.

14. Pergimus ad *Causam Materialem*, quæ verbis seqq. pro-
 ponitur, sed ad amussim rigoris non exponitur: sufficit nobis,
 quod ἀναλόγως aliquid vicem materialis sustineat. Textus inquit:
 Ego sum, qui sum, ait; sic dices Filius Israel. Ad hæc verba notamus
 ἀναλόγως doctrinæ de *Existencia Materialem ex qua*, quam nobis
 modo suppeditet vox יהוה, maximè notabilis, sive respiciamus
 ortum Etymologicum, sive statum Grammaticum, sive significatum
 proprium, sive collationis respectum, sive textualem usum.

15. Quoad ortum Etymologicum citra dubium à radice, non
 יהוה, sed יהוה conveniently, & originaliter deducitur, adeoq; quoad
 hanc originationem à voce יהוה distinguitur, cum hæc sit ab יהוה,
 sed noster titulus est ab יהוה, licet quoad formale sint ejusdem si-
 gnificationis, suppositionis, relationis, applicationis & usurpationis; id
 quod ipse DEus nobis ostendit, dum v. 15. sequenti, sicut & in seqq.
 statim nostrum יהוה per Jehovæ titulum exponit, adeoque per-
 mutationem accuratam, & synonymian vocum adæquatam lucu-
 lenter

lenter ostendit. Quod autem nostrum יהוה descendat à rad. היה
 monstrat ipsius vocis inspectio, literarum radicalium identificatio, gram-
 matica deductio, cum dicatur esse prima futuri היה, aliarum derivatio-
 num collatio &c. adeoque sic deducitur, tum ex literis tribus radica-
 libus, tum ex litera formativa futuri ה: & certe DEUS ἐξοχικως
 & in prima persona יהוה, & in secunda תהוה, & in tertia יהיה vocari
 posset, sicut & inter pronomina personalia Deo אני עתה הוא κατ' ἐξο-
 χην vocatur. Sic etiã æternus יהוה dicitur ratione propriæ, vel divi-
 næ testificationis, quando nim. DEUS ipse de se testificatur יהוה
 Ero, nim. semper Ego: Dicitur תהוה in secunda persona, Eris, ratione
 nostræ vel invocationis, vel glorificationis, quando fidelis anima
 DEUM invocat, & celebrat: Eris semper Salvator, Redemptor &c. Di-
 citur יהיה, semper Erit ratione fiducialis Confessionis: sed peculiari ra-
 tione titulus יהוה, ex revelatione DEI. Nomen augustum & propri-
 um, quia ratione ה notat ה Patrem, ה Filium, quia bis repetitur,
 & utramque naturam Filii designare dicitur: י vero Spiritum San-
 ctum, qui terminus Patris & Filii, & autor Vinculi personalis inter ה
 divinum vel divinam naturam, & inter ה Humanum, vel substantiam
 humanam. Hæc & alia non probationis, sed illustrationis ergo
 proponi consueverunt. Sic etiam R. Bechai docet, Nomen יהוה
 tria tempora præteritum, præsens & futurum complecti in Exod. fol.
 65. sicut idem etiam, tum ab hoc, tum ab aliis, in יהוה nomine no-
 tatur: ut hac ratione significetur, Is, qui fuit, qui Est, qui erit.

16. Quoad statum Grammaticum, dicitur equidem Nomen
 ratione significationis, appropriationis, usurpationis, authenticæ vel
 infallibilis introductionis &c. quia communiter vocetur Nomen Deo
 proprium, & tale quidem vel ab omnibus, vel ab accuratioribus Phi-
 lologis habetur, imò per authenticam tum τὰξιν, tum ὡς ἄξιον, tum
 χεῖρον, quavis exceptione majorem, in hoc Oraculo nostro, quoad
 verba textus, ab ipso DEO sapientissimo, ceu Philologo Philologorum,
 legitimatur. Moses enim sollicitus erat de sui Principalis Nomine,
 dignitate, vel autoritate, Majestate vel potestate, dicens ad DEUM:
 Ecce Ego vadam ad Filios Israel, & dicam eis: DEUS Patrum vestrorum
 misit

misit me ad vos Si dixerint mihi: Quid est NOMEN ejus? Quid dicā eis?
 Hic respondet Ipse Dominus, quod Nomen ipsius si יהוה . sic igitur
 divina ראשי sibi Nomen hoc Deo adsignavit, & ordinavit, divina $\text{פג-$
 זת promulgavit, Moysi communicavit, & aliis fidelibus per ipsum ma-
 nifestavit, divina χρησθαι pariter in hoc Augusto negotio solenniter
 usurpavit, & ad usum Ecclesiae religiosum destinavit: unde multi
 quoque sunt, qui ratione formationis etiam hunc Titulum pro No-
 mine Grammatico venditant, ut Justin. serm. Exhortat. ad Gentes,
 Hieron. Epist. ad Marcell. cum aliis: sed plerique sunt in hac senten-
 tia quasi sit prima futuri radice יהיה , unde communiter redditur
 per Ero, qui Ero, hoc Ehjeh ascher Ehjeh, vel ut Vulgatus habet: Ego
 sum, qui sum, quod frustra reprehendit S. hmalz. advers. Ravensberg.
 p. 17. scribens: Vanum hoc est effugium, quod jam ipsis fere pueris
 notum sit, DEum non dixisse, sum, qui sum, sed Ero, qui Ero: Nam B.
 Dn. Dn. Calov. in Theol. Nat. & Revel. p. 277. refellit eum his verbis:
Quod jam ipsis fere pueris notum sit, verba Dei reddi posse, sum, quod
sum. Quis enim ignorat, solenne esse Ebraeus, futurum pro participio,
vel praesenti usurpare, praesertim cum significare volunt tempus conti-
nuum? Ideo LXX. reddidere εγω ειμι εων , & Vulgatus Interpres, Hie-
ronymus, & alii, Sum, qui Sum. Id enim magis DEO convenire arbi-
trati sunt, cujus Esse non novit praeteritum, aut futurum. Qui enim
fuit, jam non est, & qui erit, jam nondum est. Addimus, quod Dei
sive praesens, sive praeteritum, sive futurum, sit unius, ejusdemque tum
rationis, tum conditionis, cum Dei praesens sit aeternum, Dei praete-
ritum pariter aeternum, Dei futurum quoque non sit aliud, quam a-
eternum, quia talia sunt praedicata, qualia permittuntur a suis subjectis:
jam DEus non est successive, vel etiam disjunctive vel praesens, vel pra-
teritus, vel futurus, sed simultaneè, vel identificate, quod simul sit
& praesens, & praeteritus, & futurus, nim. quoad obceptorum $\text{οικονο-$
 μια , non quoad propriam οσια , haec Illi tribuuntur.

17. Quoad Significatum proprium, Crellius lib. de DEO &
 Attrib. Div. cap. II. ex sententia Socinianorum autumat, potissimum
 fidem suam ac constantiam in servandis promissis ex nomine declarare
 DEum: addit tamen, simul etiam potentiam designari, quae res pro-

missas, licet alioquin difficillimas, præstat, quamq; impedire nulla vis, quantumcunqve renitatur, possit: Subjungit itidem: quia vero potentia tanta non, nisi in eum, cadit, qui summus sit rerum omnium Dominus ac Monarcha, ideo eadem vox vim nonnunquam habere videtur Nominis Elobim, id est, DEI, aut Adonim, Domini, cum id κατ' ἐξοχῆν DEO summo tribuitur: Deniq; concludit his verbis: Quare nomen hoc Unum Deum ita significat, ut diversa ejus attributa, naturæ vinculo inter se colligata, animis nostris insinuet. Multa quidem in his notare possemus, sed nostri modo non est hoc instituti, multis adversarios refutare, cum angustia pagellarum id minime permittunt; Sufficiat id nobis, quod Crellius eodem loco disertè testetur, Nomen Jehovah, Ejuh, ut & Ehjeh ascher Ehjeh, nihil aliud significare, quam reipsais Ero, quem me futurum dixi, seu reipsa eum me præstabo quem præstiturum promisi. Sic igitur fatetur, Ehjeh Essendi significationem habere: quod autem ad alia nonnunquam in talibus vocabulis respectus habeatur, illud immediato, nativo, proprio, primario &c. significato nihil quicquam derogat. Dist. inter significationem absolutam & respectivam, nativam & adscitam, immediatam & mediatam, subjectivam & attributivam, &c. vel inter vocis usum, aut significationem, & inter vocis usum & applicationem &c. Sic igitur Vox Ehjeh primo & primario, quoad acceptionem nativam, authenticam, biblicam, Canonicam &c. significationem Essendi tenet, consequenter, & secundo, quoad certam relationem, appropriationem &c. ad attributa divina, quæ principale significatum non excludunt, referri potest.

18. Quoad collationis respectum certum est, quod nomina divina variis inter se modis conferri possint, sicut ex variorum Autorum collatione, vel etiam ex varia Nominum divinarum distributione, manifestum: imprimis maxima cognatio, juxta Philologos & Theologos, inter nomina יהוה & יהוה נא reperitur. Nos benevolunt lectorem hic brevitatis ergo remittimus ad B. Dn. D. Calov. d. l. p. 255. ubi demonstrat, quod, quoad originem, utraq; Vox Essendi significationem obtineat, eam & יהוה, & יהוה significet Esse: juxta quosdam autem observat, quod interdum distingvatur יהוה ab יהוה ita ut hoc Esse, illud Fieri designet, ab utroque tamen verbo peculiare Dei No-

men

men esse petatum, ut indicaretur, DEum non tantum in se Esse, so-
lumque sibi proprie esse vindicare, sed & omnis scientiæ, ut ita lo-
quamur, originem & causam existere.

19. Quoad textualem Usam varia rursus notanda veniunt: nos hic paucis erimus contenti. Notamus autem hic (1) Usus proprios, quoad usum varium, & quidem (1) Usum primum, quod non ab hominibus, quamlibet piis, hoc nomen primum sit adhibatum; nec ab Angelis primum sit introductum; sed omnium primum à Deo solo sit productum. (2) Usum divinum, quod hac ratione DEus sit verus inventor, & Autor hujus augusti Nominis. (3) Usus authenticum, quia DEus Nomen hoc in authenticis scripturarum tabulis annotari, & ad omnem posteritatem propagari curavit. (4) Usum Canonicum, quia cunctis fidelibus, instar normæ, vel potest, vel debet, in Denominatione Dei, convenienter inservire. (5) Usus Catholicum, quia spectat ejus usus ad omnia subjecta, ad omnia tempora, ad omnia loca. (6) Usum Majestaticum, quia Divinitus ab ipso Deo Nomen hoc in magna, vel augusta Legatione Moysi ad Pharaonem instar criterii Majestatis publicatum, & usurpatum &c.

20. (11) Usus textualis Capita, sic in textu non obscurius observare licet (1) Usum generalem, vel absolutum, quoad vocis proprium ortum, sensum & usum, quibus respectibus omnibus Essendi significationem habet, & Essentiam DEI, tribus personis communem, designat, & alios quoque respectus essentielles non respuit, sicut B. Dn. D. Calov. in Bibl. illustratis succincte talia colligit scribens: Nomen יהוה אלהינו hæc importat, seu accuratissima DEI periphrasis, à Deo ipso tradita, cum de DEO, & Divina Natura quæreretur (1) summam substantialitatem DEI, (2) absolutam incommunicabilitatem. (3) αὐτοσύνην, αὐθιγὰν divinam. (4) Simplex DEI Esse. (5) Originem rerum creatarum à Deo. (6) denique veritatem Dei: sed in Theol. Natur. & Revel. p. 277. & seqq. plenius hæc deducit.

21. (2) Usum specialem, vel relativum, quia ter saltem, neque sæpius, nec rarius, in hoc Oraculo producit, & nunquam alias in tota scriptura Nomen hoc augustum in tali statu repetitur: & sic innuitur, quod Elohim Pater sit יהוה, Elohim Filius si אלהים, Elohim Spiritus sic אלהים, nec esse plures, nec esse pauciores, sed tantum modo

res in *Deitate*, l. etiã in hoc *Principali Legante personas*. Et huc Veteres Rabb. collimasse videntur, quando Nomē hoc de tribus Existentiis, aut tribus Existendi Differentiis, intellexerunt, & exposuerunt. Nec illud annotatione prorsus indignum, quod Primus אלהים Pater, simpliciter adducatur, Tertius אלהים Spiritus S. itidem simpliciter positu producat, secundus autem אלהים, Filius, cum additamento quodam introducat, quia dicitur אלהים אמת, quoniã peculiaris hic erat Legatus, & Angelus, peculiaris Doctor & Ductor, peculiaris Orator & Informator, peculiaris Inspector & Director, peculiaris Legationis Autor & Instructor, peculiaris educator, nim. ex Aegypto, Ductor vid. per Desertum, Introduktor in terram Canaan, peculiaris Notator & Censor, peculiaris ex ardenti rubo revelator & liberator, peculiaris promissor & executor, & quæ alia notari possent, nim. *Verus Messias*, ad quem peculiariter relativum אמת refertur, & in hoc tum à Patre, tum à Spiritu S. distinguitur, & proprium characterē consequitur, atq; sic ad peculiarem apparitionem in ardenti rubo, quod digito quasi monstrari posset, respectus habetur.

22. *Materia in qua, vel subjectum*, juxta textum vel consideratur ratione ipsius *Existentiæ*, vel ratione *doctrinæ de Existentiæ*. Quoad *subjectum Existentiæ*, notamus ipsum Deum, ipsum Ehjeh, ipsum *Ens divinum*, cui revera talis Existentiæ tribuitur, quia DEUS est *Existens*; licet alias simpliciter *Existentiæ* & *Essentiæ* dicantur à *Metaphysicis Synonyma Grammatica*, tamen vulgato loquendi modo recte dicitur, *Deus est Existens*, ubi *Deus* est *subjectum Existentiæ prædicatum*, & instar attributi de DEO prædicatur, licet proprie loquendo non sit *attributum*: & sic DEO quoq; tribuitur *Existentiæ*.

23. Quoad *doctrinam de Existentiæ DEI subjectum* dicitur *Verbum DEI*, quia Ehjeh ascher Ehjeh, & ait, & ajens præcipit: Sic dices. Elegans *αὐτοῦ καὶ αὐτοῦ* *causæ principalis & Ministerialis* sic indicatur: dum DEUS ait, homo dicit, dum Magister ait, Minister dicit, dum ait Doctor, discipulus illud, quod ajebat Doctor, repetit, & dicit: dum princeps, vel causa principalis ait, præco, vel causa Ministerialis dicit: sic etiam h. l. Ehjeh ascher Ehjeh ait, ut Dominus, & Legato suo dicenda vel expedienda præcipit, ac præscribit, & Moses ut Legatus in legatione sua Principalis sui dicta repetere, & dicta fideliter tum Pharaoni, tum Senioribus, tum ipsis Israelitis proponere

arce

nere debebat. Sic etiam *Doctrina de Existentia DEI* subjective quasi latet, & hæret in verbo tum revelantis DEI, qui suis Ministris ait dicenda de *Existentia DEI*, sed verbi præcones sibi revelata, sibi commissa diligenter & fideliter suis auditoribus dicunt, h. e. doctrinam de *Existentia DEI* proponunt.

24. *Materia circa quam* h. l. *Filii dicuntur Israel*: Sic dices *Filius Israel*. Non enim DEus doctrinam fidei, & sic etiam doctrinam de *Existentia DEI* frustra proposuit, aut etiam sibi soli, vel tantum in collegio SS. Trinitatis, aut in Cælo divinæ Majestatis solum proposuit; neq; tantum Angelis suis exposuit; sed potissimum nobis hominibus destinavit, cum *Verbum DEI* sit *ipsius DEI*, vel etiam divinæ voluntatis ad homines *Epistolum*: maximè verò *fideles*, vel *Ecclesiæ veræ Cives* dicuntur *objectum Doctrinæ sacræ*, quia potissimum his *Articulorum fidei Doctrina*, qualis etiam est *Dogma de Existentia divina*, publicis præconiis à DEI Ministris inculcatur. Et h. l. *Filii Israel* repræsentant *totam Ecclesiam*, quia tunc temporis DEus *Populum Israel*, ceu *veram Ecclesiam*, conservabat, ceu *veram Ecclesiam* per suos *Præcones & Ministros*, vel *Extraordinarios* etiam *Legatos* atq; *Prophetas*, informabat, & hanc suam *Ecclesiam* à reliquis gentibus discriminabat, sicut inquit *Moses Deut. IV. 4.* *Vos, qui adheretis Domino DEO Vestro, vivitis universi, usq; in præsentem diem; Scitis, quæ docuerim vos præcepta, atq; justitias, sicut mandavit mihi Dominus DEus, sic facietis ea in terra, quam possessuri estis: & observabitis, & implebitis opere. Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coram populis, ut audientes universa præcepta hæc dicant. En POPULUS sapiens, & intelligens, GENS MAGNA. NEC EST ALIA NATIO TAM GRANDIS, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris. Quæ est enim ALIA GENS SIC INCLUTA, ut habeat ceremonias, justaq; judicia, & universam Legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?*

25. Nunc ad manus sumimus *Causam Finale*, quæ suo modo latet in *Ehjah*, *QUI EST* misit, me ad Vos, nim. *Qui Existit πρῶτος*, qui tanquam *Primus existit*, ἐξ ἑωυτοῦ, *eminenter*, ut *summus existit*, ἐξ ἑωυτοῦ, qui verè *SOLUS existit*, ἀυτοῦ, *à se, per se, in se, propter se*, super omnes alios *existit*, ἀίδιος, *qui semper, & indefinenter existit* &c. sicut huc respexisse videntur *LXX.* qui τὸ Ehjah ascher Ehjah
sic

sic reddunt: *Eγώ ειμι ὁ ὢν*, Ego sum ille Existens, participia communiter notant *actus suorum verborum*, & sic τὸ ὢν, *actum essentiae*, h. e. Existentiā, indicaret. Hac ratione Deus etiā hoc Nomen idolis opponere voluit, utpote quia tales Dii non sunt Elohim Ehjeh, Dii Existentes, ipse vero sit semper Existens: imō creaturis se pariter opponit, quoad absolutam suam Existentiā, sicut hoc observat Hieron. in c. 3. Ephes. Ego sum, qui sum, i. e. Ego solus sum, quia solus à meipso habeo esse, solus sum, quia ab alio non sum creatus. R. Moses in Director. Perplex. l. 1. c. 63. de voce **יהוה** ita disserit: Quando Dominus Moſen jussit populo denominare, se ab **יהוה** missum esse, non voluit solum nomen indicare Israelitis. Etenim si jam illud antea audierant, nihil novi dicturus erat: si ignorabant, certum erat, non satisfacturum iis Moſen, dicendo, tale Nomen me misit. Quia penitus sibi persuasi erant, eum subdole apud se commento uti. Itaq; ne nudum iis diceret, latius ei naturam ac significationem ejus exponit: Quoniam autem illis temporibus universi gentiles erant, & idolorum cultui addicti, qui nescirent, esse aliquid incorporeum, eoq; cogitationibus suis coelum non transcenderent, Deus cupiens populo suo hunc errorem eximere, dixit Moſi, abi, & dic illis, Ero, qui ero, misit me ad vos, quia vox **יהוה** EXISTENTIAM denotat, & ab **יהוה**, Fuit, deducitur, perinde ac si dixisset; monstra illis, contra quem sentiunt, & validis argumentis proba, Me Esse, qui sum, h. e. meam essentiam à seipsa subsistere, nec ab alio dependere, ut cætera omnia, quæ EXISTUNT, quia à me provenerunt, & ita sunt, ut potuerint, & adhuc possint Non esse. Si libet hic Logicam conferre, tunc Ehjeh, Ego sum, esset enunciatio secundi adjecti, adeoq; necessario sic τὸ Sum explicandum esset per τὸ Existens nim. hoc modo, Ego sum Existens, & sic diceretur EXISTENS me misit ad Vos. Huc etiā respexisse Hesychium vult Drusus de Tetragram. c. 24. cum ita scriberet, ὁ ὢν θεὸς αὐτὸς ὑπάρχων, Qui est, Deus est, semper EXISTENS. Nec absq; causa τὸ **יהוה** postremum suo modo quodam ad Formam referimus, tum quia significat, ut modo vidimus, Ego sum EXISTENS, tū quia materiale suo modo, quod dictum Ehjeh ascher Ehjeh superius, ad hoc postremū contrahitur, per illud formatur, limitatur, terminatur, & determinatur; tum quia hoc postremum Ehjeh dat operari, Ehjeh misit me ad vos. Si vero cuidam hæc non placent, ei nihil per has meditationes obtrusum volumus, sed cuilibet meditandi libertatem permittimus, ut docuncta fiant, quoad analogiam fidei.

26. Deniq; subjicimus Causam finalem, quæ tum immediata, nim. Moſis missio, quæ non inconvenienter etiam Finis cuius appellatur, quia propter hanc missionem hoc nomen allegatur, revelatur, & ad cognoscendum atq; credendū promulgatur. Est enim hic **יהוה** Principalis Legatus, qui respicit certam Legationem, & se manifestat suo Legato, & hoc quasi privilegio Divini Numinis, & summæ Majestatis, cum exornat, & armat. Tum mediata, nim. Israelitæ, qui pariter Finis cui dici posset. Ad Vos misit me; nam propter Israelitarum informationem, certificationem, liberationē, confirmationē, consolationem &c. Nomen hoc, tanquam augustū pharmacopolium, l. promptuariū, Moſi communicabatur.

05 A 341


ULB Halle 3
004 210 336



konf







I. N. 7.
DISPUTATIO THEOLOGICA,
De
EXISTENTIA DEI

ABSOLUTA,

Ex Cap. III. Exodi vers. 14.

Quam

PRÆSIDE

*VIRO Summè Reverendo, Magnifico, Am-
plissimo, atque Excellentissimo*

DN. JOH. DEUTSCHMANNO,
SS. Theol. Doct. ejusdemque Prof. Publ. lon-
gè Celeberrimo, ut & Alumnorum Electoralium EPHORO gra-
vissimo, benignissimoque,

*Dn. Patrono, Præceptore, atque studiorum
suorum PROMOTORE, summo honoris cultu plurimum
observando,*

Ex Cathedra Lutheri
defendet

M. JOH. GODOFREDUS MIRUS,

Adorfiâ Variscus, Ecclesiæ Patriæ designatus
Diaconus.

In Auditório Majori,

Horis consuetis die 18. Jan.

An. clc lbc LXXXVII.

WITTEBERGÆ, Lucis SCHULTZIANIS.